

**www.e-rara.ch**

**Ezras**

**Lavater, Ludwig**

**Tiguri, anno 1586**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: 5.118

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-2580>

**Epistola nuncupatoria.**

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

# PIETATE ET DO- CTRINA PRAESTANTIBVS

VIRIS, IOSVEO VVEKERLINGO, IO-  
anni Blumschlio, Christiano Hochholtzero, Christia-  
no Hospiniano, Othomaro VVipfio, Ioanni Fabri-  
tio, Hartmanno Hambergero, Iacobo Bindschedle-  
ro. Decanis classium Tigurini lacus, liberae praefectu-  
rae, Steinæ, Vitoduri, Elgouæ, VVezipconæ & Rec-  
genspurgi in ditione Tigurina, fratribus  
suis in Christo colen-  
dis, S. D.

GITVR nunc annus tricesimus quintus,  
fratres in Christo colendi, quū Esdras  
& Nehemiam in maiore templo Urbis  
Tigurinæ, matutinis horis meis quos ha-  
bebam auditoribus, exposui. Quo tempore mihi non  
veniebat in mentem, quod denuò libros illos exposi-  
turus, nedū quæ in eis notanda obseruaram, in lucem  
emissurus essem. Interea mutato consilio, anno supe-  
riore, in frequentiore cætu, eos ipsos libros interpreta-  
tus, & breui scripto Homilias meas complexus sum,  
ut alijs quoq; ecclesiarum ministris, qui vel libris  
necessarijs carere coguntur, vel labores illa conqui-  
rendi quæ debebant, subterfugiunt, non nihil prodes-  
sem: & eos tantum non ad explicationem horum li-  
brorum, qui nostris temporibus valde accommodati  
sunt, inuitare: Quia verò noua hæc ESDRAE editio,  
charissimi fratres, in illud ipsum tempus incidit, quo  
ab amplissimo nostræ Urbis Ducentorum Senatu

## EPISTOLA

(penes quem summa apud nos est potestas) unan-  
 mi consensu, in reuerendi & clarissimi viri Rodol-  
 phi Gualtheri patris & præceptoris nostri locum, pa-  
 stor ecclesiæ electus sum, vobis hunc librum dedica-  
 re visum est. Gualtherum, ut scitis, curis, uigilijs, la-  
 boribus ita exhaustum & confectum, ut pastoris  
 munus amplius obire non possit, amplissimus noster  
 Senatus rude donauit, & ut optimè de ecclesiâ no-  
 stra merito, integrum stipendium, quod ante habe-  
 bat, liberaliter ad obitum usq; ei nunerari decreuit: me  
 uerò, licet indignum & tanto munere imparem, ne  
 ecclesiâ nostra pastore careret, illi substituit. Has uc-  
 rò ob causas, uobis fratres colendi, meas illas in ES-  
 DRAM Homilias, siue commentarium potius, in ue-  
 stro nomine apparere uolui, primum ut meum erga  
 uos studium & amorem declararem: deinde ut huius  
 dedicationis occasione, uos, quorum magna apud  
 reliquos ecclesiæ ministros est authoritas, in hac per-  
 sequutione ecclesiæ Dei, ad constantiam in puritate  
 doctrine & uitæ integritate, quæ ecclesiâ plurimum  
 adificatur, exuscitem. Docet enim hic liber ESDRAE,  
 quomodo Deus populum suum post septuaginta an-  
 nos exilij Babylonici, secundum predictionem Iere-  
 miæ prophete, Cyri regis permissu, in patriam redu-  
 xerit, ut templum rursus extruerent, & politiam  
 collapsam instaurarent. Quomodo item magno &  
 difficili labore, uitæ fortunarumq; suarum periculo  
 id fecerint. Vicinæ enim gentes, præsides, consiliarij,  
 uarijs modis, blanditijs, minis, armis, ita eos impe-  
 diuerunt,

diuerunt, ut instauratio templi & urbis Hierosolymorum ad multos annos fuerit dilata. Tandem excitatis à Deo prophetis, qui populum in sancto labore confirmarent, & p̃ijs gubernatoribus, qui conatus eorum iuuarent, & motisq̃ omnibus obstaculis, templi ædificium sæliciter absolutum fuit. Quid paulò supra nostram memoriam apud nos factum sit, utile erit animo repetere. Huldricus Zuuinglius cum antea (Clarona &) in Eremo quem vocant diuæ virginis, magna laude docuisset, Tigurum accersitus anno dominicæ natiuitatis 1519. Calendis Ianuarij (quo die anno 1484. natus fuerat) primam concionem apud nos in summo templo habuit, postero die qui dominicus erat, Euangelium Matthæi pro suggesto publicè enarrare cæpit, & patres nostros ex captiuitate Babylonica paulatim educere, templumq̃ domini spirituale instaurare, ab alijs quoq̃ suæ ordinis hominibus ampliùs. Senatu Tigurino non parum adiutus. Quæ verò nascenti ecclesiæ impedimenta per falsos fratres, hypocritas & tyrannos obiecta sint, longum esset commemorare. Nostro tempore satan vehementius grassatur, totumq̃ quasi orbem ad arma concitat, & fratres quoq̃ nostros aduersus nos instigat, ut omnes ecclesiæ funditus euertere, arcem superstitionis recuperare, suamq̃ tyrannidem stabilire possit. Ingentia verò illa pericula, quæ nos undiq̃ circumstant, nequaquam à veræ religionis professione nos abstertere debent, sed potius excitare, ut exemplo populi Dei qui è captiuitate

te redierat, quo plures obices satan ad impediendum euangelij liberum cursum ingerit, eò magis nos ad studium adificandæ ecclesiæ accendamus. Neq; dubitandum est, quin si nostrum officium sedulo fecerimus docendo, sanctè viuendo, precando. neq; solum alios ecclesiæ ministros collegas nostros, sed et plebē nostræ curæ cōmissam, ad verā penitentiā excitauerimus, Deus gratiam et spiritum suum largiturus sit, quò templi adificium inuito Antichristo magis magisq; progrediatur. Solet enim Deus suos fideles rebus afflictissimis & desperatissimis, mirabiliter contra hominum opinionem iuuare, conseruare, hostiumq; ecclesiæ certam iam sibi victoriam promittentium spem & conatus frustrari. Quæ omnia in hoc libro, tanquam in speculo ad nostram doctrinam & consolationem proponuntur. Sed quid noctuas Athenas? Vos etiam atq; etiam rogo, fratres, ut literarium hoc munusculum, quod animo sincero & candido vobis offero (animus in muneribus optimus esse vulgo dicitur) candidè à me accipiat & perlegatis. Faxit Deus optimus Max, ut omnium nostrum ministerium, ecclesiæ ipsius fructuosum sit & salutare. Valete in Christo charissimi fratres, & in vestro munere estote seduli. Tiguri mense februario anno Dominicæ natiuitatis 1586.

Vester ex animo

frater in Christo,

Ludouicus Lauaterus.



